

Albrecht, von M.

Quid lingua litteraeque Latinae ad homines educandos conferant

[Stable URL: <http://elar.uniyar.ac.ru/jspui/handle/123456789/3433>]

[**Публикация работы:**]

Albrecht, von M. 2009: Quid lingua litteraeque Latinae ad homines educandos conferant
// Новый Гермес: Вестник классической филологии и археологии. 3, 10-18.



НАУЧНО-ОБРАЗОВАТЕЛЬНЫЙ
ЦЕНТР АНТИКОВЕДЕНИЯ
ЯРОСЛАВСКОГО ГОСУДАРСТВЕННОГО УНИВЕРСИТЕТА
ИМ. П.Г. ДЕМИДОВА
ЯРОСЛАВЛЬ, РОССИЯ

THE SCIENTIFIC & EDUCATIONAL
CENTRE FOR CLASSICAL STUDIES
AT YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY
YAROSLAVL, RUSSIA

DAS WISSENSCHAFTLICHEN FORSCHUNGS- UND
STUDIENZENTRUM FÜR DIE GESCHICHTE,
KULTUR UND RECHT DER ANTIKE
DER STAATLICHEN DEMIDOW-UNIVERSITÄT JAROSLAWL
YAROSLAWL, RUSSLAND



РОССИЙСКАЯ АССОЦИАЦИЯ АНТИКОВЕДОВ
RUSSIAN SOCIETY OF CLASSICAL STUDIES



НАУЧНО-ИССЛЕДОВАТЕЛЬСКИЙ И ОБРАЗОВАТЕЛЬНЫЙ ФОНД
«ЦЕНТР ИЗУЧЕНИЯ РИМСКОГО ПРАВА»
ЯРОСЛАВСКИЙ ФИЛИАЛ
THE RESEARCH AND EDUCATIONAL FOUNDATION
“THE CENTRE FOR ROMAN LAW STUDIES”
YAROSLAVL BRANCH



ЯРОСЛАВСКИЙ ГОСУДАРСТВЕННЫЙ УНИВЕРСИТЕТ
ИМ. П.Г. ДЕМИДОВА
YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY



STUDIA LATINA

Quid lingua litteraeque Latinae ad homines educandos conferant

MICHAEL VON ALBRECHT

(philologiae classicae professor in Studiorum Universitate Heidelbergensi)

Multa mihi legenti, multa audienti de studiorum humanitatis utilitate plurima occurrunt quae et ad res ipsas cognoscendas et ad formam loquendi atque cogitandi pertinent. Hodie autem tria vobis proponam: primum de Latinitatis facultate renascendi loquar, deinde de utilitate linguae litterarumque Latinarum et de scholis reformandis, tum de Europae indole.

I

De facultate renascendi

Ac primum quidem unum mihi vel maximum videtur: vim dico atque facultatem renascendi. Quae qualis quantaque sit, breviter exponere iuvat. Initium igitur faciam a narratione quadam, quam ex Claudio Quadrigario rerum scriptore excerpsit Aulus Gellius (in *Noctium Atticarum* libri noni capite tertio decimo; ceterum eadem amplius exornavit T. Livius 7, 9, 6 – 7, 10,14). Narrat autem Gellius haec fere: Temporibus tumultus Gallici, anno a. Chr. n. trecentesimo uno et sexagesimo, vir quidam Gallus eximia magnitudine corporis pugnae pausam fieri iussit conclamans, siquis secum depugnare vellet, ut prodiret. Prodiit autem T. Manlius. Qui dum cum illo proeliatur,

cito animadvertit Gallum semper eodem more atque eadem ratione et corpus movere et armis uti. Quibus legibus perspectis (quae in gentibus atque civitatibus, quae priscos mores colunt, religiosissime observari solent), Romanus hostem suum facile superavit. Usus enim est motu quodam a Gallorum more abhorrente, quem ille minime exspectaret. Hoc est magnum testimonium atque exemplum ingenii Romanorum, quippe qui et observandi et discendi summa facultate in inveniendis rebus summa sollertia uterentur.

Quid enim de pugnis dicam navalibus, a quibus Romani antiquissimi, utpote agricolae, alieni fuerant? Attamen a Carthaginiensibus provocati et naves construxerunt et ipsi ex hominibus rusticis nautae facti hostes magnis pugnis navalibus vicerunt. Recte enim poeta dixit: *Fas est et ab hoste doceri* (Ov. Met. 4, 428). Certe Romani utpote viri discendi peritissimi numquam se inveterascere passi sunt, semper nova temptaverunt.

Cuius facultatis ipsi imperatores maxima nobis documenta praestiterunt. Nam secundo p. Chr. n. saeculo imperatores, cum in senatu tot viderent inimicos suos Stoicorum sectam sequentes, ipsi philosophiam Stoicam amplexi sunt. Quo factum est, ut philosophia illa ex contraria imperatoribus fieret tutela atque propugnaculum imperii. Ita ipsi quoque imperatores prorsus mutati sunt. Nam primo saeculo exeunte Domitianus adhuc philosophos Roma eiecerat. At saeculo secundo inde ab Hadriano Romanorum ius philosophia Graeca adhibita adeo mite atque humanitatis plenum factum est, ut hodie quoque omnibus gentibus exemplo esse possit. Denique imperator Marcus Aurelius ipse philosophus factus est.

Videtisne Romanorum sapientiam, qui eam ipsam vim, qua inimici vigeabant, in suum usum verterint? Neque aliud Constantinus ille egit. Nam ipse religionem Christianam, quae temporibus illis maxime pollebat neque vi et armis ne a fortissimis quidem imperatoribus (Domitiano, M.Aurelio, Diocletiano) vinci poterat – Constantinus, inquam, id effecit, ut religio Christiana ex periculo rei publicae summum vinculum unitatis atque concordiae fieret.

His exemplis probatur, quam magna fuerit non solum sapientia Romanorum, sed etiam singularis quaedam vis illis insita: facultatem renascendi dico. Quod ingenium nostrarum quoque civitatum proprium putaverim, nam omnes patrimonio Romano vivimus eoque sive scientes sive inscii utimur. Quam sui renovandi vim atque facultatem si eruditione atque cultu augere volumus, duae nobis res considerandae sunt, altera fixa atque immobilis, altera plena vitae atque virium.

Ac primum quidem ipsa illa vis sui ipsius novatrix alitur mira illa stabilitate scholarum antiquarum. Quanta enim fides atque constantia grammaticorum

Latinorum, qui posteris tradiderint verba eorumque formas syntaxinque una cum rerum gestarum et geographiae et philosophiae scientia! Qua doctrina discipuli non solum libros scriptos legere et intellegere discunt, sed etiam omnium rerum visibilium invisibiliumque naturam, denique ipsi se intellegunt. Fides autem et constantia in grammatica docenda nostris quoque temporibus viget. Altera tamen ars – quae est rhetorica – hodie minus colitur. Nam illam saeculo undevicesimo multi spernebant. Quam tamen saeculo duodevicesimo adhuc magistri discipulique in scholis exercebant. Scribebant enim quaedam praeexercitamenta rhetorica, quorum maximum et pulcherrimum „chria“ (id est „rectus usus“) appellabatur. Quae dum exercitia componunt, discebant discipuli, quomodo bona causa defenderetur, mala refutaretur. Item primum rerum inventionem, deinde partium dispositionem, tum verborum elocutionem atque ornatum via atque ratione adhibebant. Quae scholae Latinae plurimum conferebant ad sui defendendi facultatem atque sollertiam – non vi neque armis (id quod hodie in scholis fieri valde dolemus), sed ratione et oratione, quae „arma“ sola homine digna sunt. At his exercitiis sublatis saeculo vicesimo etiam liberarum rerum publicarum status in tyrannidem mutatus est. Dedicierant enim homines artem rhetoricam, quo factum est, ut demagogorum fallacias perspicere non iam possent. Ideo primum a pseudopoliticis et demagogis decepti sumus, deinde (id quod hodieque fit) mercatorum pessimi cuiusque mendaciis obruimur. Filii certe nepotesque nostri artem rhetoricam funditus discere debebunt, si modo transire volent flumen illud lutulentissimum duarum linguarum hodiernarum, quae vere „mortuae“ appellari debent – et sunt: linguam pseudopoliticorum dico et linguam venditorum omnia vendentium. A quorum fallaciis nos haec arma defendent: lingua Graeca et Latina, quae vere vivae sunt.

Igitur in scholis nostris ars grammatica, quae firma atque immota est, satis bene conservatur, at amisimus partem vivam atque vigentem, id est usum atque consuetudinem artis rhetoricae. Sin autem cives educare volumus, qui vigilant, qui ea quae iusta sunt, defendant, iniustus viris obstent, exercitia rhetorica redintegrandae erunt.

Huc adde quod exercitia Latine scribendi et loquendi discipulos etiam in linguae vernaculae usu atque consuetudine adiuvabunt. Certe is qui Latine loqui et scribere didicerit etiam sermone patrio maiore cum cura atque reverentia utetur. Equidem dum tam acriter linguae Latinae usum defendo, id ago, ut litterae in omnibus hodiernis linguis renascantur. Ita enim dominatum atque potentiam unius atque solius linguae evitabimus, quae non erit illa summorum Angliae scriptorum, Shakespearii, Miltonii, Oscari Wilde, Bernardi Shaw, quorum ingenia et artem valde admiror, sed Macci Donaldi culina quaedam linguistica.

II

De linguae litterarumque Latinarum utilitate; de scholis;
de studiorum universitatibus

Sequitur, ut de utilitate linguae litterarumque Latinarum dicendum esse videatur.

Ordiamur igitur ab utilitate ut ita dicam „materiali“, id est a rerum cognitione. Optime enim doctis Varrone (in iis libris, quos de lingua Latina conscripsit) et Comenio (in Orbe picto) verba Latina una cum rebus discuntur. Quare etiam atque etiam exhortor et vos, collegae carissimi, et discipulos, ut Latine non solum legere, sed loqui audeatis. Viva enim vox, ut ait Plinius, multum valet. Praeterea non solum, ut ait poeta, res, si verbis carent, nullae sunt, sed etiam verba sine rebus neque vim neque vitam habent.

Idem de litteris dicendum est: Saturae et epistolae nobis vitam cottidianam ante oculos ponunt, orationes et res privatas et rem publicam, rerum scriptores et rerum gestarum memoriam et geographiam, Cato et Varro rem rusticam, Plinius historiam naturalem, Lucretius philosophiam naturalem, Cicero omnes philosophiae et theologiae partes, poetae theologiam fabulosam omnesque antiquorum fabulas, quarum cognitio plurimum nos adiuvat in recentiorum quoque temporum scriptoribus, pictoribus, sculptoribus, musicis recte intellegendis. Quid de legum atque iuris cognitione, qua Romani omnes fere gentes adeo praecesserunt, ut omnium consensu iurisprudentiae fundamenta iecissent? Ut omnia una voce complectar, ita discentes iuvenes non solum vitae quendam usum (quem ipsi habere nondum possunt) atque consuetudinem, sed etiam longissimam memoriam quirunt, quae non solum Nestoris memoriam superet, sed omnium aetatum memoriam complectatur.

Deinceps de ea educatione quam „formalem“ appellare solemus, pauca dicam. Grammaticam enim discentes discere discimus. Primum passum enim facimus ante secundum, secundum ante tertium. Clare etiam distinguimus inter id quod iam scimus et id quod nondum scimus. Via et ratione igitur procedimus. Hoc autem optimum praeexercitamentum est earum rationum vel methodorum, quibus in omnibus scientiarum disciplinis utimur. Manifestum ergo est linguam Latinam praeparationem esse maxime idoneam ad quamvis disciplinam atque scientiam capessendam.

Venio ad litterarum Latinarum utilitatem „formalem“. Quid? Nonne, dum diligenter et attente opera oratione soluta conscripta legimus, discipulos ad orationis pulchritudinem cognoscendam incitamus? Qui pulchritudinis sensus est, ut ita dicam, porta quaedam atque accessus ad iudicium in ceteris quoque rebus sapienter exercendum et ad philosophiam, non solum logicam sed etiam ethicam reapere et

quasi corpore capessendam.

Sed iam ad paragraphum secundam secundae partis transeo, quae est de scholis. Hic autem brevitatis causa septem theses proponam.

I. Latine discere non paucorum quorundam privilegium esse debet; immo ius Latine discendi omnibus hominibus detur (inter ea quae „iura humana“ dicuntur recipiatur).

II. Latine autem discendi facultas non ex parentum divitiis, sed ex discipuli discipulaeve ingenio pendeat.

III. Inter omnes Europae gentes conveniat de „Gymnasio“ sive „Lyceo Europaeo“, in quo bene discantur et binae linguae antiquae et binae hodiernae.

IV. Cum lingua Anglica saepe discatur iam inde a primo anno scholastico (a liberis sex annos natis), quinto anno scholastico (decem annos nati) Latine discere incipiant.

Cuius rei duo exempla afferam:

In Germania

A primo anno scholastico (id est: sex annos nati) Anglice vel Francogallice discunt (per septem annos)

A quinto anno (id est: decem annos nati) Latine (per octo annos)

A septimo anno (id est duodecim annos nati) Graece (per sex annos)

Ab octavo anno Francogallice vel Anglice (per quinque annos)

In Russia (Petropli)

A sexto anno scholastico Anglice et Latine (per septem annos)

Ab octavo anno Graece et Germanice (per quinque annos)

V. Grammatica ante annum vitae XIII discenda est. Nam Liberi X, XI, XII annos nati libenter grammaticam discunt. Sunt enim liberi „maturi“; inde ab anno XIII sunt „adulti non maturi“ et currere quam discere malunt.

VI. In gymnasiis classicis etiam linguarum hodiernarum et physicae et mathematicae magistros optimos esse oportet.

VII. Optimorum scriptorum Latinorum opera minime ad verbum, sed eleganter lingua vernacula reddantur, ut discipuli sermonem patrium bene discant (idem dicendum de versionibus ex lingua vernacula in linguam Latinam, quae

iniustissime negleguntur. Omnibus autem illis, qui elegantiae Latine scribendi student, commendo cum vetus illud „Repetitorium“ Hermanni Menge (in quo etiam consilia ad chrias Latine componendas inveniuntur), tum divinum illud opus Caroli Friderici de Naegelsbach, quod „Lateinische Stilistik“ inscribitur. Ibi enim non verbum e verbo redditur, sed optimae locutiones Latinae adhibentur. Quamquam enim Carolus ille explicat, quantum sermo Latinus distet a linguis hodiernis, tamen semper illius „egestatis“ Latinae linguae ingeniosissima remedia invenit. Ad quae addenda sunt Milenae Minkova et Terenti Tunberg opera, quibus discipuli etiam ad Latine scribendum invitantur. Hactenus de scholis.

Sed pauca de studiorum Universitatibus addam. Etenim scholae cogentur, ut linguam Latinam doceant, si accessus ad Universitatem in nonnullis materiis (maxime linguisticis et historicis) ex hac re pendeat. Quomodo hoc in Hispania se habeat, nescio; sed in Germania non omnes studiorum universitates linguae Latinae peritiam a discipulis postulant. Praestabat una voce loqui, sed varietas talis est, ut difficile sit saturam non scribere. Immo rerum veritas magis ridicula est quam ulla satira.

Etenim elencho quodam a viro docto nomine R. Nickel¹ composito demonstratur, quid quaeque Studiorum Universitas de utilitate vel necessitate linguae Latinae censeat.

Cuius rei nonnulla exempla afferre iuvat.

Quod ad studium linguae litterarumque Germanicarum attinet, in nonnullis provinciis (Baden-Württemberg, Berolini, Hessen, Niedersachsen), si studiorum universitatum auctoritati credi potest, lingua Latina opus non est. Attamen quis nescit, in omnibus paene partibus Europae usque ad saeculum duodevicesimum plures libros latine editos esse quam sermone vernaculo, eosque tales fuisse, qui in tota Europa legerentur?! Ii igitur, qui litteris patriis sine Latinitatis peritia student, magnam partem sui patrimonii legere non poterunt.

In philosophia res se paulo melius habet. Nam in una tantum provincia lingua Latina philosophis inutilis esse putatur, quae est Bavaria (id quod miror, cum ibi satis multa lycea classica sint). Habebunt ergo Bavari philosophos, qui neque Augustinum neque Thomam neque Cusanum neque Cartesium neque Spinozam legere possint.

At quod ad iuris prudentiam attinet, sola Bavaria aliquam linguae Latinae notitiam a discipulis suis requirit (etsi non magnam), etiam doctores iuris tantum in quinque universitatibus Latine scire debent (quarum unam esse Heidelbergensem gaudeo). Satis tamen miror, quomodo iuris prudentes sine lingua Latina radices iuris communes nationum Europaeorum cognoscere possint.

¹ Lexikon zum Lateinunterricht, Bamberg: Buchners C.C. Verlag 2001.

Gaudeo tamen historicos paene totius Germaniae non esse oblitos plurima documenta recentioris quoque historiae Latine esse conscripta. Quorum versiones vernaculis linguis conscriptae saepissime non extant. Qua in re severior ceteris est Studiorum Universitas Humboldtiana Berolinensis. Spes igitur est quaedam Germaniam bonos historicos habituram.

Etiam ii, qui linguae Anglicae student, Latine scire debent. Sola in Universitate Generali (Gesamthochschule) urbis Kassel res aliter se habet. Equidem scire velim, quomodo ibi ea pars vocabulorum Anglicorum, quorum origo Latina est, explicetur? Est enim plus quam dimidium lexicum Anglici. Neque intellego, quomodo opera illa divina Shakespearii explicari possint sine Ovidio et Seneca; unum hoc scio: Miltonii Paradisum sine Virgilio et Homero illi funditus amittent neque umquam Paradisum recuperabunt.

Quod ad magistros religionis et theologiae catholicae et evangelicae attinet, complures studiorum Universitates lingua Latina opus esse dicunt, exceptis „Libera Universitate“ Berolinensi et iam nota vobis Universitate Generali Kasselensi. Ibi fiunt magistri religionis linguae Latinae prorsus ignari: iudicate ipsi, quales theologos habituri simus, qui neque Augustinum neque Thomam, ne Lutherum quidem Calvinumve legere possint, ut de praefatione Latine scripta et de apparatu critico Graeci Novi Testamenti taceam. Taceo etiam de canone Missae, cuius verba a tot tantisque summis ingeniis (a Palestrina et Bachio ad Beethovenium et Verdiam) modis musicis illustrata sunt. Ergo sola gratia nonnullarum Academiarum fiet, ut habeamus theologos non doctiores praedicatoribus nonnullarum sectarum, qui studiis in America absolutis tandem Sacrae Scripturae exemplum primum non Hebraice vel Graece, sed Anglice esse conscriptam putent.

Ergo unicuique nostrum in sua vel schola vel studiorum universitate id agamus, ut doctam ignorantiam saeculi nostri, quae multo peior est quam temporibus Erasmi, ironia Erasmi ad absurdum deducamus et linguarum antiquarum pulchritudinem, dignitatem, utilitatem defendamus.

Certe prioribus saeculis quae etsi barbarie abundabant, tamen non tam barbara fuerunt quam saeculum nostrum, Erasmi aliorumque virorum doctorum voces a principibus audiebantur. Nam quod ad Societatis Iesu scholas attinet, satis habeo afferre vocem Friderici II regis Prussiae, qui quamvis atheus, Iesuitarum scholas etiam a Romanis, qui suorum bonorum oblitus erant, defendebat. In iis provinciis Germaniae, quae fidem

M. VON ALBRECHT. *Quid lingua litteraeque Latinae ad homines educandos conferant*

profitebantur evangelicam, saeculo XVI multa monasteria in scholas Graeco-Latinas mutata sunt. Eo admittebantur gratis omnes pueri qui bonae indolis. Sapienter autem lege cogebantur, ut in patria manerent. Nam ii, qui in patria sacerdotes, magistri, iudices fiebant, nihil umquam solvere debebant, ceteri, qui in alias regiones abierant, paulatim parvam pecuniam patriae reddebant. Quo factum est, ut in iis partibus Germaniae, in quibus tales scholae erant, eruditissimi essent iudices, magistri, sacerdotes. E quibus scholis etiam summi scriptores, poetae, philosophi prodierunt.

Utinam illud genus scholarum hodieque exstet! Si hoc non fiet, parentes – id quod in dies augeri videmus – filios filiasque magis magisque in scholas privatas mittent – neglectis publicis. Quod systema „duarum classium“ mihi minime probatur, nam non virtute aut ingenio sed divitiis atque opibus nititur. Qua in re Americae exemplum mihi non videtur dignum, quod imitemur.

Restat ut de Roma et Europa pauca dicamus.

III

Quid sit Roma, quid sit Europa

Quid esset Roma, etiam atque etiam quaerebant Romani et semper alia atque nova ratione hanc rem explicabant. Vis enim illa sui renovandi, de qua locuti sumus, eo nititur, quod Romani semper novas notiones mente animoque concipiebant. Ipsa enim Romae indoles non semper eadem fuit, sed crevit et vires acquirebat eundo. Neque eadem specie manebat, sed sui ipsius educandi atque transfigurandi capax exstitit. Quod ut fieri posset, Romani rerum memoriae alias atque alias velut imagines sibi fingeant.

Ac primum quidem, id quod nemo nescit, Romani maiores Troianos sibi invenerunt. Quo factum est, ut Graecos quasi pari passu aemulari possent et ut Homeri carmina quodammodo pars patrimonii Romani fierent. Tamen Romani iudicia saepe contraria Graecis ferebant. Quod in Vergili *Aeneide* (quae non Achillis superbiam singularem sed Hectoris amorem patriae defendat) videmus, ea tamen lege, ut tertio libro etiam adumbretur, quomodo Graecorum Romanorumque cognitiones deorum hominumque inter se coniungi possent.

Deinde Vergilium secuti sunt Valerius Flaccus et Papinius Statius. Qui alias historiae theologiaeque fabulosae partes in Romanorum usum verterunt (*Argonautica* et

Thebaidem dico). Sic mythologia Graeca paene tota Romana facta est; creaverunt enim, ut ita dicam, illi poetae epici „Vetus“ quoddam „testamentum“ quod Romani suo more interpretari et ad civitatem suam referre possent. Sic fratricidium illud Thebanum quasi figura quaedam atque umbra Remi a Romulo occisi facta est; Thesei clementia imago atque exemplum eiusdem virtutis imperatoris Romani. Similiter *Argonautica* imagines et umbras quasdam futurorum virorum vere Romanorum praebent.

Postea autem factum est, ut ad maiores illos Graecos Romanosque tertius ordo accederet: christianus ille et biblicus. Quae tria quasi patrimonia inter se coniunxerunt summi Europaeorum poetae epici: Dantem et Miltonium dico.

Tamen non magis imperii quam liberae rei publicae exemplum Romani nobis reliquerunt. Quod saeculo duodevicesimo exeunte et Francogalli et Americani viderunt. Qui virtutes a Cicerone et T.Livio laudatas in usum suum verterunt. Nam Thomas ille Jefferson non solum quattuor linguas hodiernas callebat, sed etiam Graecam et Latinam. Quarum quota pars hodiernis illius imperii praesidibus nota est? Quin etiam quod ad indulgentiam erga dissentientes in rebus divinis attinet, quam hodie verbo non nimis pulchro „tolerantiam“ appellamus, etiam hanc ex scriptorum Graecorum Latinorumque fontibus (praecipue ex Cicerone et Livio) haustam esse patet. Nam Hugo Grotius auctor libri „De iure belli atque pacis“ Latine scripti exemplis antiquis et sermone Latino usus est, ne quemquam hodiernorum offenderet et ut ab omnibus intellexeretur.

Indulgentia autem erga dissentientes in rebus divinis, qua utebantur cives liberae rei publicae Romanae nobis non minus exemplo esse potest quam humanitas illa, qua imbutum est ius Romanorum (imprimis inde a saeculo p.Chr. n. secundo). Nam exempla antiqua etiam a discipulis hodiernis sine ira et studio diiudicari poterunt, praesertim cum lingua Latina optime eae notiones, quae ad iuris prudentiam pertinent, exprimentur.

Maxima certe res, qua vita nostra hodierna exemplis Graecis et Latinis adiuvari, ali, augeri possit, haec est: Diligenter examinemus, quomodo in rerum gestarum memoria Romani adversus Fortunam illos provocantem quasi cottidie alia atque alia arma invenerint; et quomodo Romani per varios casus, per tot discrimina rerum identidem novas de semet ipsis et de Roma notiones conceperint. Recte enim Rutilius Namatianus hoc esse summum arcanum et ut ita dicam palladium Romae contendit: *crecere posse malis*. Quare hodie quoque de lingua Latina minime desperandum: nam quo maius discrimen, eo maior spes.